

Werk

Titel: Neuer Büchersaal der schönen Wissenschaften und freyen Künste; Neuer Büchersaal der schönen Wissenschaften

Verlag: Breitkopf

Jahr: 1746

Kollektion: Rezensionszeitschriften

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN556860969_0002

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN556860969_0002

LOG Id: LOG_0037

LOG Titel: Artikel

LOG Typ: article

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN556860969

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN556860969>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=556860969>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

II.

I. Vincentius Gravina Scipioni

Maffeio, Marchioni. S. P. D.

Quærenti mihi sæpenumero, Maffei doctissime, causam, cur initio Graeci Poetas pro Diis coluissent, Romani autem sero admodum eos honorassent, cum Cato criminari daret Marco Nobiliori, quod Ennium Poetam secum in prouinciam duxerit; ea demum occurrit ratio potissima, quod Graecis publica necessitas, Romanis vero priuata voluptas Poesim initio commendarit. Quippe Romanis oratio sola prudentium sufficiebat ad suadendum, tribuendamque summam humanitatem: cuius virtutis leges homines latino sub coelo nati, vltro parturiunt. Graecis vero ad exuendam feritatem, ac fraudulentiam compescendam sensuum illecebris opus fuerat, & melodia, qua simul cum auribus arriperentur etiam animi, ac flecterentur ad praecepta virtutis, quae modulatione, ac numeris infundebantur: adeo ut apud eos sapientia, & eruditio a Poesi & Musice raro disiungeretur, omnisque doctrina Musices appellatione veniret, quia sine Musice nullus doctrinae publicus fuisset usus.

Nimirum praeter Cacum, aliumue quemdam nulla memorantur in Latio portenta immunita-

nitatis, qualia tam crebro iruenias inter Graecos: vt Thuccidides initio historiarum referat, eos vitam in latrocinio, & rapina publice institutam habuisse, versutiamque, atque violentiam in ciuilem disciplinam convertisse. Vnde non vnum, aut alterum, quorum nomina superfuerunt, sed inumeros, nullo nomine notos, oportet apud eos erupisse Pythones, Procustas, Schyrones, Lycaones: quorum plurimos haud fortasse dissimiles inter Deos retulerunt, vt communia gentis vitia pro summis virtutibus in coelo collocarent, & scelerum auctoritatem a Numinibus ducerent.

Quare quid mirum, si Homerus, qui teste potissimum Aristotele, ac Platone, homines aetatis nationisque suae, tales, quales natura ipsa reddidit; generositatis vestigium prope nullum delineauerit, ceterarum virtutum vero perrarum: cum exempla libidinis, auaritiae, feritatis, singulis prope versibus effuderit. Quae hominum, regionum, temporumque vitia in diuini Poetae dedecus detorquent homines imperiti potissimum antiquitatis. Quasi heroibus suis, quibus nomen hoc vires, & virtus militaris meruerant, adscribere salua imitationis lege debuisset Homerus, virtutes illis ignotas: quas non modo nationes barbarae; sed & ipsimet recentiores Graeci, qui Philosophorum vocibus eas vane iactauerant, non ante conferre cooperunt in

morem, quam exemplis, & institutis assuefcerent Romanorum.

Nam, obsecro, antequam ea instituta cum Romanis armis Graeciam ingrederentur, quae fides, quaeque aequitas, aut iustitia, vel quae foederum sanctitas versabatur, non dicam inter liberarum Vrbium rectores, atque Magistratus praecipue Athenienses; quibus, teste Cherisopho apud Xenophontem, veluti sollempne fuerat diripere opes publicas, atque hostibus vendere ciues suos; sed inter magnanimos illos Alexandri duces, quorum regna exordium, & cursum duxerunt a perfidia, Cassandros nimirum, Lysimachos, Seleucos, Antigonos, Ptolemaeos, eorumque successores: quorum maiores, vt cumque virtute militari, & munificentia regia claruerint; imperia tamen eorum parricidiis, proditionibus, & pupillorum caedibus adeo scatuerunt, vt non multo discreparint ab Argivis illis, & Mycenaeis, atque Thebanis regnis, quæ segetes fuere Tragoediarum.

Quamobrem Propertius hanc potissimum inter laudes Italiae ponit, quod nec Cerautas pepererit, neque Andromedæ strepentes de scopulo catenas audierit, neque humanarum dapum foeditate Solem auerterit, nec materno furore aut Meleagro vitam exustam, aut Penthea disceptum viderit, neque Iphigeniam tulerit, neque foeminam ullam sub vaccae specie pauerit, neque homines pinuum ramis

ramis vtrinque nexos, illisque discedentibus
diuulsos, aut Scironia faxa hospitum in exi-
tium dederit.

*At non squamoso labuntur ventre Ceraстae,
Itala portentis nec furit una nouis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catene,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parente suo.
Penthea non saeuae venantur in arbore Bacchae,
Nec soluit Danaas subdita cerua rates.
Cornua nec valuit mutare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare boue,
Arboreasque cruces Scinis, & non hospita Graiis
Saxa, & curuatas in sua fata trabes *.*

Enim vero Graeci pariter, ac barbari ratio-
nem a potentia; Romani vero potentiam a
ratione ordiebantur, eamque tuebantur gra-
uitate, atque constantia: quae cum in libris
habitaret Graecorum, exularet a moribus,
crebrae mutationes Rerumpub. apud eos ori-
ebantur, & mutuae caedes, & intestina dis-
fidia, & ex priuatis odiis publicae ruinae;
vt Atheniensium statum Cleonis potius te-
meritas, & Alcibiadis volubilitas euerterint,
quam Thebanorum arma, & Lacedaemo-
niorum. Quarum deinde potentiam iidem
Thebani, qui odio Atheniensium eam au-
xerant, mutatis confestim post victoriam ani-
mis, perfregerunt; vt se demum cum omni
Graecia domesticis, & voluntariis cladibus

u u 5

attri-

* Eleg. 20. lib. 3.

attrita deduxerint in Macedonum potestatem. Contra Romanorum inter se odia domesticis consiliis saepe quiescebant, neque nisi post annos fere ab V. C. sexcentum in ciuilia bella erupere. Quae bella vtcumque noua, & extraordinaria imperia inuexerint in Remp., ipsam tamen Remp. numquam deleuerunt, eamque hosti nulli externo prodiderunt. Exemplo sit Sertorius, qui Mithridatis opem sibi oblatam noluit accipere, sub ea conditio-ne, vt eriperetur Afia populo Romano, cuius ipse armis opprimebatur; & Pompeius, qui fusus, atque fugatus a Caesare, durius morte sibi Parthorum auxilium iudicauit; cum Graecae ciuitates certatim sibi Pharnabazi, aut Tissafernisi alicuius gratiam appeterent, vt per eos, aliosue conterminos Satrapas communem hostem, nempe Persarum regem contra propriam nationem vrgerent.

Quae variae inter se notae, atque imagines animorum a principibus vtriusque populi Poetis, Homero, & Virgilio, mirifice exprimuntur. Siquidem Homeri Duces, & Reges rapacitate, libidine, atque anilibus quæsti-bus, lacrymisque puerilibus Graecam leui-tatem, & inconstantiam referunt; Virgiliani vero Principes ab eximio Poeta, qui Romanae seueritatis fastidium, & latinum superci-lium verebatur, & ad Heroum populum lo-quebatur, ita componuntur ad maiestatem Con-sularem, vt quamuis ab Asiatica mollitie, luxu-

luxuque venirent, inter Furios, atque Camillos nati, educatique videantur: neque suam vlo actu Aeneas originem prodidisset, nisi a prae fractiore aliquanto pietate, fudisset crebro copiam lacrymarum: quas revocasset, vt & hodie reuocat, parentum etiam, & natorum in funere nativa soli huius grauitas ab oculis Romanorum: vt, mirum dictu! parcant in cognatorum, amicorumque morte lacrymis, qui nullis laboribus in morbo, nullis pietatis, & caritatis officiis pepercerunt.

Qua meliorum expressione morum, hac aetate non modo Virgilius latinorum Poetarum princeps, sed quiuis inflatissimus vernalis Homero praefertur: cum hic animos Proceribus induerit suos, ille vero alienos; & inter Poetas non de personarum, quas inducunt, dignitate, sed de imitationis veritate contendatur; nec minus conferat expressio deteriorum ad praecavendum, quam meliorum ad imitandum: vt hinc palam Platonis arguatur liuor, qui gloriam summorum Poetarum, quam suis ipse versibus affequi nequibat, ingeniosis cauillis, per causam honestatis tuendae, conuellere conabatur.

Quamobrem varietas morum, qui carmine reddebantur, & hominum, ad quos ea dirigebantur, inter latinam, graecamque Poetam non inuentionis tantum attulit, sed & elocutionis discrimen illud, quod praecipue inter Homerum, & Virgilium deprehenditur:

cum

cum sententias, & ornamenta, quae Homer
rus sparserat, Virgilius Romanarum aurium
causa contraxerit, atque ad mores, & inge-
nia retulerit eorum, qui a Poesi non petebant
publicam, aut priuatam institutionem, quam
ipsi marte suo inuenerant; sed tantum dele-
ctationem: exceptis lyricis Poetis, & elegia-
cis, qui eam artem verterunt in rem suam,
& carminibus aut potentiorum, quos lauda-
rent, aut mulierum, quas amarent, grati-
am, plerumque captabant.

Inter haec ratio in mentem subit, cur
Graeci Poesim ante solutam orationem arri-
puerint; nempe quia sapientes, qui commu-
ni cum ceteris lingua vtebantur, vt a vulgo,
a quo procul sententiis recedebant, etiam
oratione discederent, numerum inuenerunt
certum, & praefinitum, quo attollentes, &
variantes orationem a vulgo distinguerentur.
Quod in mentem primum venit oraculorum
auctoris, qui nouitate, ac miraculo nume-
rorum, diuinam auctoritatem dictis suis attri-
buebant. Quamobrem vetustiorum Poeta-
rum carmina simpliciora sunt, & placidiora:
& quamuis poetico spiritu introrsum exaestu-
ent, fluantque mira suavitate modulationis;
tamen exteriori motu, atque complexione
verborum, & fono Rhetorum, & Histori-
corum numerosam orationem exemplo suo
praeisse videntur. Nam antequam Rhetorum
arte in orationem solutam numerus commi-
graf-

grasset, Poetae suis numeris satis habebant effugere communem loquendi usum, a quo leui qualibet pedum elatione secludebantur. At postquam Rethores orationem etiam solutam a communi locutione distinxere, numeris utcumque liberioribus; Poetae, qui metri lege alligabantur, numerum suum extulerunt altius, orationemque validius intenderunt, ut non solum a vulgi, sed a Rethorum quoque sermone procul irent. Hinc vetustiora Poemata naturae proximiora sunt, rebusque similiora, quas exprimunt.

Hinc lyricae Poesis numerus posterior fuit heroicis carminibus: quia priusquam numerum aliquem soluta oratio suscepisset, sufficiebat Lyricis heroicum contorquere carmen. At postquam Epici numerum heroicum inflauerunt: Lyrici quaerere sibi nouos, & elatiores coacti fuere numeros; ne si heroicis adhuc tenerent, aequis passibus cum Epicis viderentur incedere. Nec numeris, sed vocabulis, atque dicendi generibus Poetae, ne vel hac in parre prorsus cum vulgo confunderentur, excellere studuerunt: adeo ut linguam non sibi tantum pepererint, sed & Orationibus, qui a Poetis, quorum scripta praecesserunt, linguam accepere selectiorem illam, atque sublatiorem, longeque splendidiorem, utpote non e populari faece venientem, sed a sublimitate Poetarum, qui veteribus aliquando vocabulis reuocatis, inuentisque

tisque nouis, & peregrinis etiam aliquot adscitis, vel natuuis translatione, atque artificio illuminatis, reiectisque plebeiis, cum vulgo sensum quidem vnum retinuere communem, vt ab omnibus intelligerentur; at seorsum a vulgo sermonem protulere literarium, quo secum Oratores, & Philosophi, bonarumque praceptorum artium vterentur.

Quamobrem literariam linguam Graecorum quidem praeter omnes Homerus, Latinorum potissimum Ennius, & Italorum prae ceteris Dantes Aligerius condidere. At sane Homerus non ex tota Graecia modo nobiliores omnes, verum & e barbaris etiam regionibus iucundioris soni collegit aliquot, confuditque voces, quas ceterorum postea triuit, ac leniuit usus, vt indigenarum iure potirentur. Cuius etiam Ennius exemplum imitatus, eadem libertate cum graecis vocabulis multis, dicendi genera Graecorum longe plura in latinam deduxit linguam, quae fere omnis in recentiorum, cultiorumque Scriptorum orationem conuenere, affiduaque consuetudine latinitatem ac ciuitatem accepere Romanam. Quod Aligerio, qui & ipse tota ex Italia, qua illustrem linguam patere merito censebat, & ex latino sermone voces collegit multas, admissis exterarum nationum paucis; non tamen admodum feliciter processit, propter muliebrem Scriptorum, qui ei successere, mollitem: qua effectum est,

vt

vt multa sermoni nostro necessaria, quae Dantes obtulerat, finibus excluderentur nostris, atque usus auctoritate destituerentur.

Igitur Poetarum opera praeter communem vulgi sermonem sermo emerit illustrior ad Oratorum quoque, atque Historicorum, Scriptorumque aliorum consuetudinem, & commodum: cuius voces et si omnes vulgo non usurpentur, ab omnibus tamen intelliguntur. Eumque sermonem Grammatici stabiliunt exemplis, regulisque custodiunt, ne vulgi volubilitate feratur, atque corrumperatur, neue ingruente contagione demum intereat. Quapropter Oratores a Poetarum oratione, a quibus sumfere numeros, & locutiones, non nisi libertate numerorum, & simplicitate locutionis distinguuntur; quandoquidem cursu numerorum, usque verborum proprius, quam Poetae, ad vulgi consuetudinem feruntur Oratores; vt cumque a Poetis illustriora dicendi genera mutuentur, quae tamen multitudinis moderantur auribus. Ac fane integra valetudine floret eloquentia, donec acumen cogitandi, & ornatus verborum, concinnitasque numerorum naturalem conferuat animorum communisque sermonis imaginem, qualem Graeci, Latinique ad Augusti aevum, Itali toto Leonis X. saeculo expresserunt. Cum vero inueniendi subtilitas, verborumque, ac numerorum luxus adeo increbescit, ut extinguat naturae similitudinem; tum in elo-
quen-

quentiae locum succedit verborum, & argumentorum luxuries, ipsa barbarie absurdior. Furenti enim est, quam loquenti similior, quisquis eloquentiae suae laudem a loquentium dissimilitudine petit. Est autem, ut ait Horatius, omnibus in rebus; at in eloquentia praesertim certus, ac praefinitus ab arte, siue a ratione modus, quem qui subtilius inueniendo, aut exquisitius ornando transiuit, tota prorsus aberrabit via. Quamobrem sicuti cibum conditorum copia labefactat, & mulier quamuis pulchra, si mundo, simplicique cultui fucum addiderit, faciem dehonestabit: ita & Lucanus, Statius, Plinius Iunior, & alii, quos deinceps habuerunt, vitiis quidem longe maiores, virtutibus vero prorsus dissimiles, vtramque corruperunt eloquentiam, dum Virgilium, & Tullium, aetatemque illorum acumine mentis, & artificio, cultuque verborum, vana spe superaturi, modum, ab illicis positum, excesterunt. Quem rectum cogitandi, ornandiique modum, duobus ante saeculis cum Itali repetierimus, iidem postea turpiter propulimus per scriptores tumidisissimos, p[er] quibus audacissimus quisque veterum Latinorum, Plautino Sofia meticulosior habeatur.

Refluxit enim iamdiu longe insolentius, atque intemperantius apud nos in latinam linguam turgescendum scriptorum colluicies, cum argutiarum glacie, luxuque ornamentorum.

Quae

Quae superiori saeculo corripuit etiam Scriptores vernaculos iisdem in locis institutos: qui novis verborum portentis, & inauditis numerorum tonitribus, insanisque translationibus Pindaricum scilicet, & Horatianum spiritum simul cum sensili eorum, ac prope animabili, spirantique dictione putarunt in vernacularam linguam allatuos. Cuius linguae lyrical Poesis vtcumque traxerit a Petrarcha plurimum, illius tamen, aut imitatorum carminibus fuscitandis, Musa nequaquam opes omnes exhausit suas: neque ademit posteris nouorum & locutionum, nouarunque sententiarum facultatem: et si facultatem eam infeliciter exercuissent ii, qui proximo saeculo in nouam viam se dederunt absque Musarum commeatu; quique Latinorum & Graecorum imitationem, aut sine necessaria earum linguarum cognitione, vt inter ceteros Fulvius Testius; aut sine iudicio suscepserunt, vt Ciampolus: cui eruditio summa non defuisset, nisi maluisset per quam similis esse veteribus. Marino enim, quem nemo naturae felicitate superauit, absuit vtrumque. Chiabrera vero, et si eruditionis, & iudicii, nouorumque lumen haberet satis, tamen suam copia mersus amisit limam, delectumque neglexit rerum, & linguae cultum: vt nouitate sua nihil tamen veteribus Petrarchae imitatoribus dederit inuidendum. Quamobrem recentiores dum graecas, latinasque virtutes nullis

idoneis instrumentis ad vernaculum sermonem traherent, & carerent arte illa veterum, qua scientiarum abstrusiora sensibus admoventur, & corporis expertia oculis subiiciuntur, noua monstra suscitarunt, ac dum nouas locutiones moliuntur, nouum barbariae genus aduixerunt. Cum debuissent a Petrarcha, & imitatoribus eius arripere distinctionem, qua nulla purior, nulla floridior, & sensus, ac tropos, coloresque mirificos Graecorum, ac Latinorum ad linguam transferre vernaculum; eaque arte nouum lyrae Poeseos genus tradere Italos, non aliud agnoscetibus lyricorum principem praeter Petrarcam: qui Poesim suam Platonica, quae tum falso ferebatur, philosophia, ita obnubilauit, adeoque ignotis impleuit sensibus, ut non e Circo, vel e Foro, sed e Scholis euocare cogatur auditores. Quamobrem populares aures, quarum causa Poesim, praeferunt lyricam, inuentam scimus, non modo Petrarchae defuerunt, semperque deerunt, sed eius etiam imitatoribus: qui hodie omnes eadem prorsus chorda oberrant, seque beatos putant, si poetica in scena feliciter egerint Iudaeum interpolatorem. Nam Cesa, qui alter haberi possit, a Petrarca, Lyricorum apud nos princeps, non aliud attulit, nisi vulgaribus in sententiis nouos verborum complexus, nouumque in numeris sonum. Et Bembus, Molza, Nauagerius cum

cum eorum aequalibus, qui optime potuissent
lyricam nostram Poesim vocare ad Graecorum
Latinorumque libertatem, ac varieta-
tem, longe magis ad restituendum latinitatis
candorem XV. saeculorum tenebris obrutum,
quam ad tropos, modos, numerosque nouos
in italica lingua ferendos incubuerunt.

Quamobrem Itali, qui non meo, sed multorum, & quidem doctissimorum iudicio, solo
Dante, atque Ariosto cum veteribus non
improbe contenderimus, quique vno Tor-
quato vincimus exteros, quibus in omni elo-
quentiae genere antecellimus, lyrice tamen
Poesi non minus, quam tragica, & comica
vtcumque praestemus aliis, Graecis tamen,
ac Latinis longo interuallo cedimus: cum
praeter Petrarcham, veteresque illius imitato-
res, eiusdemque praesentes descriptores,
sobrios alias Lyricos habuerimus nullos, ne-
que speremus habituros, nisi retenta veteri
dictione, adhibitoque temperamento, ac iu-
dicio, quo simul cum dictione pura, & can-
dida veterum, nugatores proximi saeculi
caruerunt, varietatem rerum quaeramus
maiores, euentusque intexamus lepidiores,
ac res interseramus graecis, latinisque simi-
les, animorumque motus, & imagines inge-
niorum popularibus coloribus ad communem
cognitionem, ac sensum exponamus. Quod
blaterones nostri cum admodum insulse ten-
tafissent, atque infeliciter, ac more stultorum

vitandis vitiis in contraria cucurrisse, vtque sterilitatem fugerent, supra modum intumuisserent, adeo aetate nostra stomachum hominibus integroris iudicii commouerunt, vt ad unius Petrarchae imitationem, tamquam ad aram maximam, securitatis causa se retulerint, repetentes toties ab aliis recantata, ne aliam ineuntes viam in illorum inauditas ineptias dilaberentur; quasi lyricum carmen vernacule modulaturus, aut redditurus aliena sit, aut cum Achillino, & Baptista, & Artalio debacchaturus. Nam Rhedus, Filicaia, Magius, Lemenius scientia quidem, & eruditione praestantes, tamen vt nouorum insignoribus vitiis, ita & praecipuis veterum virtutibus caruerunt.

Inuentus vero est hoc aevo Alexander Guidus noster amicissimus, qui primus mortales tollere contra sit oculos ausus, primusque nouorum insolentiam, candore atque castitate veteris locutionis, & imitatorum servitutem moderata levatione spiritus, & colorum nouitate declinarit. Eum excepere novi coetus Arcades, qui & ipsi latina, vernaculaque lingua lyricam Graecorum inter nos, Latinorumque Poesim novo spiritu fundunt: quos inter ii, quos nos iurisprudentia potissimum, & in solemnibus vacationibus eloquentia excolendos suscepimus: & quotquot denique rectam intelligentiam, rectumque usum Poeticae nostrae Rationis assequuntur.

Quam

Quam Poeticam Rationem non minus ad malos Poetas amoliendos edidimus, quam ad dissoluendos ingeniorum laqueos a vulgaribus praceptoribus, falsisque iudiciis contextos. Sed quoniam illis in libris nimium verbis percimus, minusque consulimus imbecilioribus, quibus infidiae tenduntur, erroresque obiiciuntur a praesentibus poeticarum fodiun collectoribus, a quibus eadem incogitania, qua carmina propria effutiuntur, de carminibus iudicatur alienis; minime patiemur hoc Italiae dedecus excurrere latius, eosque sine fraude, doloue malo, se, aliosque decipientes peculiari dialogo eorum causa vernacule scribendo quam possumus humanissime admonebimus, eosque beneuole docebimus quanto difficilius sit recte iudicare, quam confuse, atque immodice scribere.

Interea Tu, qui scriptis tuis Nobilitatis disciplinam falsa virtutis imitatione, absurdaque specie honoris prolapsam, miro ingenii acumine, doctrinaque praestantissima, ac singulare ad rationis normam reuocasti, has habe paucas de disciplina Poetarum animaduersiones, quas hic tibi perfusorie collegimus, vt hac occasione scribendi benevolentiam erga nos aleremus tuam, & nostram erga te, obsequii qualemcumque hoc tenue argumentum praeberemus. Vale, ac sapientissimum Trivianum, cui plurimam obseruantiam debeo, valere iubeto verbis meis.